



**Erasmi a Chokier Tractatus iurisdictionis ordinariae in
exemptos, illorumque exemptione ab ordinaria
iurisdictione**

in duos tomos distinct.

I. Scholia in Constitutionem Concilii Lateranensis. II. Conservatorias
Ecclesiasticas quaest. 130. III. Conservatorum Laicorum materiam,
Tribunali viginti duûm virum Leod. adoptatam comprehendens

**Chokier, Érasme de
Coloniae Agr., 1684**

Quæstio 115. Conservatores seculares, an possint suos subditis à
iurisdictione conservatorum Apostolicorum eximere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61908](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61908)

QUAESTIO CXX.

Principes saeculares an possint suos subditos a jurisdictione conservatorum Apostolicorum eximere.

SUMMARIUM.

- | | |
|--|---|
| 1. Privilegium Caroli V. concessum Leodiensi patriæ. | 8. Caroli V. Privilegium interpretari debet ex iure communi. |
| 2. Conservatores Ecclesiastici non cognoscunt de causis temporalibus inter laicos directè, sed bene indirectè. | 9. Libertas Ecclesie laederetur, si exempti non possent coram suis conservatoribus iniurias sibi illatas vindicare. |
| 3. Casus quam plurimi, quibus Ecclesiastici iudices jurisdictionem habent in laicis. | 10. Laici retinendo res exemptorum peccant. |
| 4. Dirus Chrysothomus vidua insignis advocatus adversus imperatricem Endoxiam. | 11. Exempti tenentur coram conservatore experiri. |
| 5. Conservatores Apostolici non possunt prae-textu privilegiorum Caesareorum impedi. | 12. Exempti evocant reos ad suum forum. |
| 6. Privilegia repugnancia conservatoris Apostolici praejudicare non possunt. | 13. Caroli V. Privilegium non afficit jurisdictionem Ecclesiasticam. |
| 7. Imperatores legem ferre non possunt praejudicalem conservatoris Ecclesiastici. | 14. Nulla dispositio tam generalis, quae restrictionem non patitur a potestate disponentis. |
| | 15. Carolini Privilegii vis & effectus. |

Carolus V. Imperator Leodiensi Patriæ privilegium concessit in hæc verba.
 Ordinamus & statuimus per præsentem, quod de cætero omnes & singuli subditi ac incolae dictæ patriæ ac Dominiorum Episcopi & Ecclesie Leodiensis coram suo proprio iudice tribunali ac iustitia ordinaria spirituali vel saeculari debeant tractari & juri stare, & actores forum ordinatum reorum saecularium, secundum privilegium per quondam Divæ Memoriz avum & antecessorem nostrum Maximilianum Caesarem desuper concessum & per nos in præsentia nostra confirmatum, quod nulli conservatores aut quicumque iudices seu execu-

res aut alia quavis personæ vigore conservatoriarum & rescriptorum quorumlibet prout seu debeant cognitionem, jurisdictionem, seu executionem in causis prophanis realibus vel feudilibus, aut inter, seu contra personas laicas suscipere vel exercere iustitiive ac iudicibus ordinariis antedictis ex quibusvis causis coram illis intentatis & ad eorum jurisdictionem de jure communi pertinentibus inhibere, dicto que subditos ut incolas extra limites patriæ & dominiorum supradictorum trahere seu evocare aut præmissa fieri procurare.

Quæritur, an hoc privilegium conservatoribus Apostolicis præjudicet. Variè hæcenus hæc in materia fuit decretatum, ego ardua hæc in quæstione quid sentiam, aliquot conclusionibus ostendam.

- 2 Prima, conservatores Apostolici, ut nec iudices Ecclesiastici inhibere non possunt iudicibus laicis de quæstionibus temporalibus inter merè laicos, signanter in causis quæ prævenerunt cognoscentibus. eleg. Ignatius Lopes, in *pract. crim. canon. cap. 3. gloss. verb. punire vers. nec minus*. Ratio est. Quia sicuti Papa directe id non potest. *Card. Bellarminus de controversiis fidei lib. 5. de summo Pontifice cap. 6. in fine fol. 1077. late Navar. in repert. cap. novit. de iudiciis. 5. de summo Pontifice cap. 6.* qui sunt Papæ delegati, *cap. 1. in fin. de offic. del. in 6. cum nemo plus juris in alium transferat, quam ipse habeat, l. nemo plus juris ff. de reg. jur. Dixi directe, secus enim indirectè, utpote si de peccato aut periculo anime ageretur, idem si debitor noluerit, re juri coram iudice suo laico, præterea si desit iudex laicus qui iustitiam admittit, aut in administratione iustitiæ negligens sit. *Navar. in d. rep. cap. novit. not. 6. num. 4. de iud. Bellarmin. d. cap. 6.* Denique nisi casus occurreret, in quo Ecclesia jurisdictionem etiam directam exercere potest in personas laicas, videlicet si laici injuriam referat similes casus 36. in *summa de iudiciis*. Marianus verò quadraginta tres, in *cap. licet de iudiciis*. Stephanus Aufretius, de *potestate Eccles. super laicos*. refert 149. & quam plures etiam speculator, de *compet. iud. adt. §. 1. quos si usus postulet, lector viduæ illatam. obnitente etiam imperatrice Eudoxia vindicasse, testis est historia, quæ est apud Metaphrastem, quæ ut elegans est & digna iudicibus, videri poterit apud Lippeloum in vitis Sanctorum in vita S. Chrylostomi in hæc verba.**
- 4 At verò quanta animi fortitudine & constantia vir sanctus iustitiæ & æquitatis partitocinium susceperit, quantaque virtute viduas potentium iniquitate oppressas defendit, non erit ab re latius referre.
- Alexandriæ Paulatius Dux exercitus magistratum gerebat, omniaque serè reipublicæ munia pecuniæ cupiditate metiebatur, & opes ingentes quovis tandem modo corradere studebat. Ad hunc cum vidua quædam nomine Callidropæ delata esset, quod divitiis abundaret, ille protinus quingentos ab ea aureos (incertum

certum quo commento) exegit, vidua magno metu affecta, ne in graviores miseriae veniret, omnibus ferè bonis suis oppignoratis quingentos aureos iniquo iudici tradidit. Cum autem post annos duos munere suo defunctus ad ministratio- nis suae rationem reddere cogere, vidua oblata temporis opportunitate utens, evestigio ad Imperatorem accessit, deque illata injuria injustaque exactio- nis conquesta est. Commisit protinus Imperator cuidam suo praefecto viduae causam; sed ille muneribus perversus non se vindicem, sed potius adversarium afflictae mulieris praebuit. Tum illa ad Eudoxiam Imperatricem confugiens, praefectus per summam injustitiam exutam in integrum restitueret; Eudoxia hac occasione novas corradendi divitias avidissime arrepta Paulacium accessit, cumque aspersis verbis inceptum centum librarum auri damnat, è quibus tantum sex & viginti viduae tradidit, reliquis verò suis opibus accumulatis. Quà injustitia multo gravius afflicta Callidrope, omni jam spe destituta, communi illo viduarum patrono tanquam ultimo refugio uti constituit. Nec mora, luctu & lachrymis miserabiliter deformata ad Episcopum abiit, eique cum crebro singultu calamitatem suam exponit, orat obsecratque, ut afflictae viduae & cum extrema rerum omnium inopia certanti opem ferat. Ille nihil cunctatus, neque Eudoxiae furorem quicquam veritus, ducem quondam exercitus adiit, cumque verbis gravissimis de illata viduae injuria corripuit, & aurum ab eo requisivit. At ille centum auri libris ab Eudoxia semulctatum, planè ab ea causa absolutum esse respondit, cui Antistes pro delictis inquit publicis facta est illa exactio, Tu verò non aliter effugies, nisi mulieri 50. numeraveris. Haec dicens, hominem secum abduci & in templo custodiri iussit. Quae res simul ac ad aures Eudoxiae pervenit, illa verò omninò commota cum verbis minacibus apud virum sanctum nihil proficeret, duos ex templo centuriones misit, qui hominem vi è templo abriperent. Et illi quidem animis animisque praefectos abierunt, sed cum templi foribus appropinquarent, & jam iamque irumpere vellent, vident (dictu mirabile) Angelum Dei specie terribilem stricta romphaea ab ingressu eos arcentem. Quo viso exanimati, metu in fugam conversi sunt, & Eudoxiae admirandum spectaculum recenti adhuc stupore oppressi narrarunt. Tum illa omnem animi ferociam posuit, & virum Dei effeminatis blanditiis à tanta justitia & aequitate enervare conata est: At vir sanctus ut minis, ita & blanditiis omnibus superior, eandemque semper & ubique animi constantiam fortitudinemque conservabat, Paulaciumque siculneo Eudoxiae auxilio subnixum, ablatam viduae pecuniam integram restituere compulsi.

Secunda. Conservatores Apostolici impediri non possunt praetextu privilegiorum Caesareorum quin cognoscant, injuriasque Ecclesiasticis personis re- bulve legitime sibi commissis illatas vindicent, cap. 1. & cap. fin. de privileg. in 6.

in 6. Ignatius Lopes d. loco in i. concl. citatus. Tum quod si ejusmodi concederentur privilegia, essent contra libertatem Ecclesiasticam, & ipso jure nulla, uti alias ostendi Scholio 7. & seqq.

6 Tum quod leges & constitutiones principum secularium & eorundem privilegia personis Ecclesiasticis præjudicium aut gravamen inferre non possunt, suntque ipso jure nulla, *Aub. cassa & irrita C. de sacrosanctis Ecclesiis, late Cardinalis Mantica de iacuis & ambiguis conventionibus parte secunda lib. 22. tit. 19. num. 10.*

7 Tum quia Imperatores legem in præjudicium jurisdictionis Ecclesiasticæ competentis conservatoribus ferre non possunt, *cap. verum cap. Imperator dist. 56. cap. Ecclesia §. M. in ubi late Fel. Abb. & cap. cum Ecclesiarum de consuet. Peck. cap. 21 quælibet. num. 5. de Reg. jur. in 6. Carden. Mantica de iacuis & ambiguis conventionibus parte secunda lib. 4. tit. 7. nu. 5. & parte 2. lib. 22. tit. 19. nu. 10.*

8 Tertia, Privilegia hæc Imperatoris Maximiliani & Caroli V. interpretatio nem accipere debent à jure communi, *l. si servus C. de noxal. act. cap. cum dilectis de consuet. cap. causam de Rescript. Navar. in rubr. de iudicis num. 90. etiam per translationem clausularum, d. cap. causam quæ & Navar. d. num. 90. ut non tantum justitiam, hoc est Ecclesiæ & rerum iuriumque Ecclesiasticorum, nam & in omni privilegii concessione influit semper tacite hæc clausula, salvo præjudicio cujuslibet*

9 *Barth. & DD. l. quo minus ff. de summiis Castr. cons. 139. in fin. vol. 1. conf. 95. nu. 1. par. 1. Læderetur autem iurisdictioni Ecclesiasticæ illique præjudicaretur, si conservatores injuriam & damnum ab ordinaria jurisdictione exemptis illarum, vindicatorum ordinariis eos forsitan opprimentibus intentare, contra ut ante dixi Ecclesiæ privilegia atque libertatem, quæ in finitibus prope calibus Ecclesiæ jurisdictionem in laicos concessit, quæ libertas non potest sine periculo censurarum Bullæ cænz Domini violari uti ante ostendi Scholio 7. & seqq. appositæ Emanuel. Rodric. quæst. Reg. tom. 1. q. 6. a. 12. fol. 383. vers. ex hac.*

10 Quarta, laici usurpando res exemptorum, easve quacumque illicita ratione tenendo peccant, *cap. p. anal. 1. 4. quæst. 5. Navar. d. cap. novu. not. 6. num. 56. de iudicis, & in manuali confess. cap. 25. num. 13. obligantur que præ cæteris exempti ut auctoritas jurisjuridicis ad versus eos experiantur, aut debitum condonem vel procrastinent, Navar. d. cap. novu. not. 6. n. 62.*

11 Licetque exemptis qui plerumque clerici sunt, & consequenter personarum miserabilium privilegio gaudent, *DD. Marantba. de iurisdic. inter Ecclesiasticum & secularem exercenda par. 2. cap. 1. Nevissimus in silva nuprials lib. 6. num. 27.* non forum sequi reorum, sed reos ad suum forum, hoc est ad conservatorem, qui iudex est ipsorum vel oppressorum evocare, *Bartholomæus Socin. in Fallentis regular. Reg. 20.*

Reg. 20 incip. actor regulariter DD. cap. cum sit generalis & cap. sed cap. ex suscepto de foro
comp. spec. in tit. de compet. lud. adit. Ignatius Lopes d. loco.

Quinta, privilegium illud Caroli V. officere non potest jurisdictionem Eccle- 12
siasticam, quin exempti casibus permittis aut etiam mixti fori ad suum conservatorem
recusent. Quia Caesaris constitutiones ad jurisdictionem Ecclesiasticam extendi
non possunt, uti in terminis tradit Ignatius Lopes d. loco vers. unde ex illa. d. cap.
Ecclesiastica Maria & cap. civis ab Ecclesiasticum de consit. cap. verum cap. Imperator.
d. 6. Peck cap. ea que numero 5. de reg. jur. in 6. Cardinalis Mantica locis supra ci-
tatis, neque refert, quod privilegium loquatur per verba generalissima quomodo- 18
libet. Quia nulla est dispositio tam generalis, quae restrictionem a disponentis po-
testate atque habilitate non patiatur, l. si mihi in via ff. deleg. 3. Oldra. conf. 143, nume-
ro 6. Chassanem ad Conf. Burg. Rubr. 7. §. 3. glo. verb. habille cachet. dec. 98. nume-
ro 20.

Sexta, privilegium hoc Caroli V. non ideo inane erit aut superfluum, quia 14
vires fortiter adversus conservatores, qui in casibus mere laicos inter mere laicos co-
gnoscunt, secus vero in casibus qui ad jurisdictionem Ecclesiasticam spectare pos-
sunt, uti eleganter & late in ipsissima hac materia in hypothesis quae evenit Collegio
Societatis Jesu docet Ignatius Lopes loco haecenus saepe citato, Confirmari posset
uberius deciso hujus quaestiones ex eis, quae superius eadem prope in hypothesis tradi-
dimus quaest. 39, ad quae lectorem ne tantologus sum, remitto.

QUESTIO CXVI.

Conservatores an irrequisiti jurisdictionem suam possint exercere,

SUMMARIUM.

1. Conservatores ad utilitatem privatam irrequisiti officium suum impariuntur, secus ad utilitatem publicam.
2. Utilitas publica in quo versetur.
3. Index Ecclesiasticus ex officio revocat Ecclesiasticum se jurisdictioni laicae subicien-tem.
4. Dioecesanus cognoscit de injuria illata clericis.
5. Superior potest annullare contractum, per quem aliquid poterat acquiri subdito.

Pp

Respon-